



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Antonivs Ep. 2. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

SIO Arsenium (quem eam ob rem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterum accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominus sæpè ATHANASIVS totum pœnè orbem pererravit. Annos in cisternâ quâdam latavit V. indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cum hostis instaret, navim vertit, jamque obvius quærenti num ATHANASIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectâ Alexandriam reversus, in patrio conditorio inter mortuos quatuor menses vixit, inter vivos deinde mortuus anno CCCLXXII. nunc inter mortuos iterum vivit. *Ex Baron.*

S. ANTONINVS EP. 2. Maii.

ANTONINVS Florentinorum Præsul, ad CHRISTI in cruce imaginem sublimis raptus, mellitissimis vulnerum osculis aliquandiu inhæsit. Atque ex his illum uberibus hausisse amorem crede, quem in omnes postea pauperes dispensavit, tū ratus præclare se rem administrasse domesticam, si domi nec supellex, nec penus esset. Viderat

Q 4 adi-

adibus Calites insidere; ingressus cum  
 duas ingenuas, sed pauperes virgines  
 operi cum matre intentas reperisset, li-  
 berali manu paupertatem sublevavit.  
 Verum cum illæ se luxui deinceps de-  
 didissent, pulsisque è testro bonis geniis  
 mali successissent, ut meliores iterum  
 hospites in ædes immigrarent, emigrare  
 otium iussit. Illud jucundum dictu,  
 Rusticellus canistrum pomis onustum  
 Divo donarat. Hic gratias habuit. At  
 cum ille referri sibi maluisset, ANTO-  
 NINVS pomis in unam lancem, solen-  
 nibus verò illis & in chartâ descriptis  
 verbis, *Deo gratias*, in alteram injectis,  
 rem examini permisit; & ecce duo  
 verba pondere suo omnia poma supe-  
 rarunt: ut planè decipi egenos à diviti-  
 bus videamus, dum hi pro tam exigua  
 stipe tam multū recipiunt. Obiit porro  
 anno MCCCCLIX. Ægotantis verba  
 illa feruntur: *Servire DEO regnare est.*  
 & illa morientis: *Sancta & immaculata*  
*Virginitas, quibus te laudibus efferam, ne-*  
*scio.* Imò verò ANTONINE, egregiè  
 scivisti: Virgo moriens eam in cælum  
 usque extulisti. *Ex Vinc. Mainard.*

INVENTIO S. CRVCIS,  
 3. Maii.

GAudent alii crucem, quam cælum  
 mittit, missam amittere; at amissam  
 olim Christi crucem invenisse hodie se  
 gaudet